

LECTIO QUINTA DECIMA SOMNIUM SCIPIONIS

"Cum in Africam venissem, ... nihil mihi fuit potius, quam ut Masinissam convenirem regem, familiae nostrae iustis de causis amicissimum. ... Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percontatus est, multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis consumptus est dies. ... Deinde ... me ... artior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi - credo equidem ex hoc, quod eramus locuti; ... Africanus se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior. Quem ubi agnovi, equidem cohorrui, sed ille: 'Ades,' inquit, 'animo et omitte timorem, Scipio, et, quae dicam, trade memoriae! ... Omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur'... Ego, etsi eram perterritus ... quaesivi ..., viveretne ipse et Paulus pater ... 'Immo vero', inquit, 'hi vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt' 'Quaeso', inquam, ' .. quid moror in terris?' ... 'Non est ita. -' inquit ille.-'... Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, ... quae terra dicitur ... Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis tum in patria maxima est. Ea vita via est in caelum.'